

Il Papa Bonifazio comisse la sua auctorità in queste bande al Reverendissimo Monsignor Guiglermo Episcopo Papiense, al qual dete plenaria auctorità de inquirere, e investigare di tal causa la veritate . . . Ma el già dicto Monsignor pervento de la comuna morte non potete il mandato Apostolico exequire. E fu necessario mandar nove littere ala Sede Apostolica, e per quello anno restete la execucione, cioe nel millesimo quadringentesimo primo e nel secundo anchora: di novo il prhelegato summo Pontifice mando la predicta auctorità al successore del già dicto Monsignor cioe al Reverendissimo e preclarissimo Padre Monsignor Pietro Episcopo e Conte Papiense, unde anxio molto di al sanctissimo Padre in ogni cosa obedire: presto fece asse venire el Reverendo Padre Fratte Stephano de Restagno tunc Vicario e Comisario del ordine minore di s. Francesco ec.

*Aliud hujusce chronicae fragmentum ad annum MCCCCXIV. recitabo, quod alias veteri orthographia rejecta ad me fuerat transmissum. Juvabit autem hic addere nonnulla, quae a quodam religioso viro, qui in eo Monasterio Confessarii munus obiverat, ac ejus Tabularium excusserat, olim acceperam. Referebat autem historica hujus abbatissae commentaria MSS. versasse ac cum voluptate legisse utpote stylo satis eleganti, perspicuo, nativo ab ipsa conscripta; ac materiam quidem tenuem esse utpote e Monialium gestis ac Cœnobii adjunctis petitam, at frequentibus considerationibus e scriptura quandoque deductis pro re nata interspersam, ut lectorem recreet, & ad verae solidæque religiosae pietatis amorem inflammet. In eo Monialium Civitatis Aquensis ac Diœcesis frequentem cum laude commemorationem fieri, & praesertim cujusdam Margaritæ ab Aquis, cujus in claustris pictam in tabula imaginem haberi assererat, ante quam suis adhuc temporibus quaedam reverentiæ signa a Monialibus præstabantur. Memini autem illum addidisse hujus Abbatissae sororem ad Astam Civitatem fuisse accersitam ad novum ejusdem ordinis Monasterium fundandum regendumque; quae omnia cum in Aquensium laudem ac commendationem tendant, a me prætermitti haud debuerant. Cæterum ad nostrum redeo documentum, in quo nonnullos qui irrepserunt typographicos errores corrigas velim.*

*Lin. 50. post Bonifacio adie PP. IX. col. 382. officii l. officium. lib. 29. diruptum l. dirutum, quod sphalma iterum occurrit col. seq. lin. 52. col. 384. lin. 7. Bestagnis l. Restagnis.*

*MCCCLXXXV. col. 280. n. 359. Chartis ad Ven. Henricum Ep. Aq. spectantibus addere juvat sequens documentum, in quo (de eodem jam ad Ecclesiam Feltrensem translato mentio fit) ut a J. C. Carrara mihi datum.*

In nomine Domini Nostri Jesu Christi amen. Anno a nativitate ejusdem millesimo quadringentesimo octavo. Indictione prima die duodecimo mensis augusti. Actum in Villa Rocheovrani videlicet in ecclesia dicti loci, praesentibus fratre Luca de blanchis rectore ecclesiae dicti loci, Oddono Ferrario de Curtemilia, & Jacobo Gihono de sancto Georgio testibus ad infra-scripta vocatis specialiter, &

rogatis. In quorum testium, & mei notarii infra-scripti praesentia convocata & congregata generali credencia, & universitate communis, & hominum, ac capitum domorum dicti loci Rocheovrani voce degani more solito videlicet in ecclesia praedicta, quem locum dominus Castellanus, & homines infra-scripti elligerunt specialiter ad actum infra-scriptum peragendum de mandato providi viri Johannis de octis Castellani, & Rectoris dicti loci, ad quam credenciam, & universitatem convenerunt, & praesentes fuerunt infra-scripti homines, qui sunt major & sanior pars hominum, & capitum domorum dicti loci commune, & universitatem dicti loci repraesentantes, nomina quorum sunt haec. Rossinus de Prato. Anthonius Berrus. Petrus de boscho. Henricus de podio. Johannes de prato. Anthonius de podio. Guillelmus Rodohanus. Petrus de frinnogio. Johannes de octis. Bugata. Bartholomæus Cagnus. Pecionus. Jacobus de Ayla. Franciscus de gayda. Gandulfus Mastallonus. Guillelmus Pistonus. Henricus Bruna. Bartholomæus de prato. Manfredus de Monte. Anthonius Pollarolius. Ruffinus de la costa. Anselmus de boscho. Johannes Guischarus. Joanninus Gubaldus. Henricus de Alberto. Percivallus Manzarius. Dominicus Bellecius. Belengius Tarditus. Johannes Murator. Georgius Girbaldus. Nicola Blanchus. Henricus Bruna. Facius Uinacia. Bertholomæus Bescontus. Perrellus de auriolo. Luchellus de podio. Johannes Auram. Paganinus de Serra. dictus Sucijs. Johannes Ferrarius. Stephanus Bonginus. Jacobus de octis. Johannes Turrellus. Johannes Cagnus. & Johanotus Barberius. Ibique cum Daniel filius & procurator ac procuratorio nomine egregii & potentis viri domini Petrini Scarampi, de qua procura constare dicitur publico instrumento tradito per Jacobum Barbojonum notario anno, & die in ipso instrumento contentis dederunt, & tradiderunt in solutum, & pagamentum reverendo in Christo Patri domino Henrico de Scarampis olim Episcopo Aquensi, & nunc Episcopo Feltrensi suo nomine proprio & vice, & nomine Anthonii, ejus fratris & nepotum suorum, filiorum, & heredum quondam domini Mathæi Scatampi annum redditum infra-scriptum videlicet star. viginti grani ad mensuram Curtemiliae sine benedictione. Item libras vigintiquatuor, & solidos decem octo monetæ Savonæ. Annuatim in perpetuum percipiendos ex annuo reddito, quem dictus dominus Petrinus habebat super commune, & hominibus Rocheovranti tam de grano dompno, quam de denariis fodri, & denariorum paschorum, & fictuum prius & antequam dictus dominus Petrinus perciperet quidquam de dictis annuis redditibus. Ita quod praedictis denariorum, & grani summis ut supra prius solutis residuum remaneat, & esse debeat dicti domini Petrini. Et hoc datum in solutum, & traditum fuerit ut supra pro Florenis, sive Januinis argentis sexaginta octo, & solidis triginta monetæ Savonæ: & inde dictus Daniel dicto procuratorio nomine se constituerit tenere, & possidere dicto nomine dictum annum redditum, donec idem dominus Episcopus de ipso possessionem acceperit